



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Franciscus Densa Episcopus S. Seueri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

imitatus, vt æque nascens, viuens, ac moriens, nuditatem illius
visus sit ad amare.

Ioseph Battaglia Episcopus Montis Marani.

Beatum Patrem Thomam de Villanoua Archiepiscopum Va-
lentiæ, dignum censeo, qui ad maiorem Dei gloriam, & Ec-
clesiæ utilitatem, in Sanctorum numero referatur, quia virtutes
coluit omnes in gradu heroico, & præcipuè gloriosum se reddi-
dit in pastoralis sollicitudine, miraculis claruit, & ipse maximum
miraculum fuit.

**Alexander Aegyptius Episcopus
Andriensis.**

Eximia virtutum cunctarum laude Beatus Thomas à Villa-
noua cumulatus, Beatissime Pater, ad subsidia pauperum
profusus, ad animarum lucra peruigil, constantia in improbos,
in probos clementia, moderatione sui, coniunctione cum Deo,
veram Præfulis & sanctitatem, & gloriam est assecutus. Oppor-
tunum itaque ad Antistitem ornatum, ac incitamentum existi-
mauerim, vt S. V. suo, quo Deus loquitur, ore; Virum hunc
omni virtutum complexione spectabilem, Sanctorum fastis ad-
scriptum afferat Coelo.

Franciscus Densa Episcopus S. Seueri.

Cum; Beatissime Pater, sanctitatis, & virtutum omnium
fundamentum sit sui ipsius abnegatio, & voluntatis unio
cum Deo per dilectionem ipsius, & perfectam charitatem in
proximum, ex quibus oritur humanarum rerum contemptus,
in secundis moderatio, in aduersis patientia, in afflictos com-
miseratio, in pauperes ardens amor, & deniquè perfectissima,
verissimaquè iustitia, quæ operatur magna, & reputat parua, ope-
ratur multa, & reputat pauca, operatur diu, & reputat breue; Cūq.

O omnia

omnia hæc in Beato Antifite nostro Valentino non oscitanter, nec perfunctoriè, sed perfectissimè in vita, & post mortem prefulserint, vt per probationes, atque irrefragabiles testes deponentes de excellenti Beati Thomæ fide, insigni spe, charitate feruenti, admirabili humilitate, castitate, prudentia, fortitudine, & temperantia, necnon de pluribus miraculis, tam ipso viuente, quàm mortuo editis, quæ omnia Sacra Rota, & Sacra Rituum Congregatio pluries firmavit. Meritò Beatum Thomam omnium virtutum laude cumulatissimum humillimè, & reuerenter, inter Sanctorum Confessorum Pontificum agmen, præuio Canonizationis decreto, referri posse, iudico, & subscribo; gratias perennes, & immortales Deo, & S. V. agendo, quòd exemplum Regularibus, Sacerdotibus, & nostro Episcoporum Choro, sicuti omnibus etiam Christi fidelibus proposuerit.

Fr. Henricus Burgen Episcopus Ali-
phanus.

Beatissime Pater. Verè, vt nomen sonat, abissus fuit, ac didimus, idest gemellus Beatus Thomas de Villanoua; gemellus miserationis, quæ cum ipso de vtero matris egressa, ab infantia creuit; abissus abissum inuocans; Thomæ enim Apostoli sollicitudinem in inquirendis, Angelici puritatem in edocendis, Cantuariensis constantiam in defendendis his, quæ ad Deum, eiusquè Ecclesiam pertinent æmulatus; meritò, visionem, quam Thomas expectabat Apostolus, & mercedem quam Thomas expectabat Angelicus, creditur consecutus, & dignus, qui, vt olim Cantuariensis ab Alexandro III. multis clarus miraculis, à septimo eiusdem nominis, & Patriæ, vices Dei gerente in terris, proclametur factus in Cælo consors Charitatis, quæ nunquam excidit; Dei scilicet: nam Deus charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.